



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. IV. An sententia negans sit certa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

propositio nec fuerit visa, nec tolerata à Congregatione, inferri nequit fuisse à Congregatione reprobata opinionem stantem pro absolvendi potestate contra Cœnæ Bullam. Rursus nec obstat quarta ab Alexand. damnata: Prælati Regulares possunt in foro conscientia absolvere quoscunque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione ob eam incursâ. Primo, quia hæc damnata loquitur de Prælati Regularibus quoad seculares; non de iisdem quoad suos, aut de Episcopis: ergo non est ad rem. Secundo, quia satis ostendi quod Prælati Regulares, neque ex suis privilegijs, neque ex vi Cruciatæ absolvere possunt seculares, nisi Episcopi approbatio accedat: cum ergo Prælati Regulares nullam in seculares ex se habeant jurisdictionem; sed omnem à solo Episcopo eos approbante, Episcopi autem nequeant illis conferre jurisdictionem, ut absolvant ab hæresi occulta, (præcipue si ea Episcoporum facultas quoad Papales occultos non sit ordinaria ex vi dignitatis Episcopalis, sed ex puro privilegio Tridentini indulta, atque adeo est indelegabilis) consequenter Prælati Regulares neque ex suis privilegijs, neque vi Cruciatæ, neque ex concessione Episcopii absolvere possunt seculares à Papalibus occultis contra Cœnam, & multo minus ab hæresi. Quod si asseratur quod facultas iniuncta Episcopis quoad casus occultos contra Cœnam absolvendos sit ordinaria vi sui officij, tunc delegare potest Episcopus Regularibus facultatem ut seculares absolvant à casibus occultis contra Cœnam, non tamen ab hæresi; cum Tridentinum quoad hæresim neget Episcopis facultatem etiam quoad suos Vicarios. Hæc sunt validiora hujus sententiæ fundamenta, partim ex alijs hausta, partim à me aucta.

§. IV.

An sententia negans sit certa?

SUMMARIUM.

Ejus fundamenta, n. 236. ad 240.
Bulla Cœna expresse derogat Tridentino concedenti Episcopis facultatem quoad occultos Bulla Cœna, n. 237.
Immo cuicumque antiquo juri, & privilegio, ibid.
Papa derogare potest facultati vi officij insite, ibid.
Divisio criminum in occulta, & publica, quam extra rem, n. 238.
Episcopis nunquam indulta facultas absolvendi à publicis, nec à Tridentino concessa, ibid.
Damnata quod fuerit visa &c. damnatur tum

quoad prædicatum, tum quoad subjectum, n. 239. 240.
Sacra Congregatio vidit, & non toleravit interpretationem datam Bullæ Cœna, n. 240.
Videns, & non tolerans opinionem, eam potius reprobavit, nec se habet præcisive, ibid.
Si hic syllogismus est evidens (Bulla Cœna revocat facultatem à Tridentino concessam, sed concessit quoad occultos, ergo hanc revocat) tunc sententia affirmans sit etiam ante tertiam improbabilis: si non est, tunc neque post tertiam est improbabilis, n. 241.
Ipsemet tertia damnata ideo damnatur, quia est ante damnationem improbabilis, n. 242. & 243.
Interpretatio, quod veteretur Episcopis absolvere publica, non vero occulta, quam falsa, ibid. & 243.
Per tertie damnationem sententia affirmans in Episcopis facultatem quoad occultos non est falsa improbabilis, n. 244. 245.
Ego puto, esse dicere non audeam, quod ea sententia affirmans fuerit semper improbabilis, ibid.
Si hodie est improbabilis, est ob illud ipsum ob quod continet damnata, nempe ob interpretationem in publica, & occulta, n. 245. 246.
Episcopi absolvere possunt non solum ad occultos, sed à publicis etiam contra Cœnam casibus, omnes incapaces ire Romanam, n. 246.
DD. ibid.
Enumerantur qui sunt, n. 247.
Perpetuo impeditus absolvitur directe pro utroque foro ab omni casu, & censura: nam ita non impeditus perpetuo, n. 248.
An qui est impeditus, tum adire Papam, tum Episcopum, possit absolvi pro foro conscientie à dictis casibus publicis, à quolibet legitime Sacerdote? Ibid.
An habens reservata ab Episcopo, impeditus eum adire, possit quoque absolvi à non habente facultatem pro reservatis? Ibid.
Casus contra Bullam Cœna ob multitudinem impedimentorum sunt sæpe Episcopales, n. 249.
Præstat potius ampliare Superiorum Primarium facultatem, quam limitare, n. 250.
Insigne monitum S. P. Ignatii, ibid.
Sententia tuens in Episcopis facultatem quoad Papales, vel semper sit improbabilis, vel nunc non est, ibid.
DD. dantes Prælati Regularibus maiorem quoad suos, quam Episcopi quoad suos facultatem, ibid.
Non est eadem in Inquisitionibus, & Inquisitionibus facultas, n. 251.
Plus longè possunt Hispani Inquisitores, ibid.

N. 236. **V**ideamus modò oppositæ sententiæ stantis pro derogatione juris Episcopalis quoad occultos in Bulla Cœnæ casus fundamenta; omnia fundantur in clausulâ Bullæ Cœnæ derogatoriâ, quæ si in re adeo gravi ponderetur ut debet, evanescent subterfugia oppositæ sententiæ stantis pro facultate Episcoporum quoad casus Papales occultos: etsi enim in Bullâ Cœnæ non nominetur expresse *Tridentinum*, à quo ea facultas concessa fuit Episcopis, & cui facultati Bulla Cœnæ derogat, sed nominetur præcisè *Concilium*; attamen evidenter constat, Concilium illud nō esse, nec posse aliud esse, quàm *Tridentinum*, nam nullum aliud eam concessit facultatem: ergo cum Bulla derogat Concilio concedenti eam facultatem, derogat eo ipso quoad hoc indulto ipsius Concilij, auferendo omnem ab eo concessam Episcopis facultatem. In hac materiâ iterum redimus ad verba legis neglecto ejus fine; ut enim Interpretes Tridentini à nobis hæc Disput. sepe impugnati, ex eo quòd *Tridentinum* requirat ad absolutionis valorem Episcopi approbationem, & non addiderit *Diocesani*, cujus in loco absoluitur, plures intulere opiniones confixas, minimè perpendentes finem, non solum verba Tridentini; ita in præsentia ex eo quia Bulla Cœnæ derogat indulto *Concilij*, & non addiderit *Tridentini*, Adversarij intulere subsistere adhuc Tridentini quoad Episcopos indultum.

N. 237. Porro quòd Bulla Cœnæ derogat quoque omnibus alijs indultis, & facultatibus, undecumque provenientibus, patet ex ipso clarissimo Bullæ textu, atque adeo cum nullum sit dubium, quòd Papa derogare possit, & vetare usum jurisdictionis, etsi ex officij naturâ derivatæ, consequenter inaniter recurritur ad opinionem tuentem, quòd facultas absolvendi Papales occultos conveniat Episcopis ex suâ dignitate. Sit enim, ut libet: Bulla tali facultati Episcopis innatæ derogat, vetans sub excommunicatione, ne quis, etsi sit Episcopus, absolvat ab occultis Bullæ Cœnæ.

N. 238. Demum ea interpretatio, quòd Bulla Cœnæ vetet tantum nequis absolvat à publicis, videtur planè falsa: quia Bulla vetat, ne Episcopi absolvant à casibus Cœnæ, quorum absolvendi facultatem *Tridentinum*, aut alia jura concedunt, non quorum negant: sed *Tridentinum*, & alia jura unice concedunt Episcopis facultatem quoad occultos Cœnæ casus, non quoad publicos: ergo Bulla negat facultatem absolvendi ab occultis contra eandem Bullam criminibus. Hæc ratione planè evanescit divisio illa eadem.

Tom, III.

suum circa Bullam Cœnæ, in publicos, & occultos. Si enim nemo concessit Episcopis facultatem absolvendi casus publicos contra Bullam Cœnæ, quin omnes negant; ad quid necessaria erat ea Bulla Cœnæ, derogans facultatem quoad casus publicos, cum nemo eam concedat? contra cum tota contentio sit de occultis, an Episcopi ab his absolvere possint, Greg. XIII. ejus Bullæ Cœnæ, quatenus est derogatoria, Author, ob fines sibi notos clausulam apposuit derogatoriam concessæ hæcenus facultatis, ut Episcopi possent suos subditos ab occultis Papalibus absolvere.

Ad tertiæ damnatæ interpretationem in N. purâ Dialecticâ fundatam recole quæ meâ *disp. 3. sect. 5. circa finem* dixi de hac ipsâ damnatâ; nec non modum formandi ei contradicentem. Modo dico, quòd esto ita sit, quòd non nisi ejus prædicatum damnatur, nempe quòd fuerit *visa*, & *tolerata à Sacra Congregatione*; attamen si prudentialiter loquamur, damnata quoque est ipsa opinio cathégorica, seu ejus subiectum. Cur enim Alexander damnaret tantum quòd fuerit *visa*, & *tolerata*, cum hoc ad summum esset mendacium referentis, de quo nil aut purum curandum esset Pontifici, cum hoc ipsum sepe accideret pluribus falso referentibus alienas opiniones? Cur tot affecisset censuris sustinentes eas damnatas? Non ergo Papa damnavit tantum dictum referentis, sed multò magis rem ab eo dictam, nempe sententiam asserentem, Bullam Cœnæ non derogare nisi facultati absolvendi à publicis, non verò Decreto Tridentini concedentis facultatem absolvendi ab occultis: hanc ergo interpretationem Bullæ Cœnæ datam Alexander damnavit; ejus enim finis erat tueri ipsam Cœnæ Bullam, & stare pro jure Pontificum eos Bullæ casus sibi solis reservantium.

Confirmo: quia prædicatum damnatæ duo continet, nempe quòd ea interpretatio data Bullæ fuerit *visa*; & quòd fuerit *tolerata*. Quæro modò, ob quod membrum damnatur? an propter *tò visa*, an propter *tò tolerata*, an propter utrumque? Sanè dici nequit, quòd propter *tò visa*; ita ut verum sit quòd Sacra Congregatio eam interpretationem non viderit, nec examinavit: hoc enim non est probabile: si enim longè minora à Sacra Congregatione videntur, & examinantur, quomodo ea interpretatio, in quantum momenti est, à Sacra Congregatione non fuit *visa*, nec examinata? Ergo prædicatum damnatur propter *tò tolerata*; ita ut sensus sit, quòd Sacra Congregatio toleraverit eam interpretationem. Igitur damnatur quòd *toleraverit*: ergo Sacra Congregatio

Vv iij

tio

tio non se habuit præcisivè quoad interpretationem, quæ est subiectum damnatæ. Potuisset quidem se habere præcisivè, si non vidisset, at cum non sit probabile non vidisse, quin certum sit vidisse eam interpretationem, eo ipso quod damnatur ut falsum quod Sacra Congregatio eam toleravit, verum prorsus est eam negasse, & exclusisse; ergo negavit prædicatum de tali subiecto, seu negavit tolerantiam eam Bullæ Cœne interpretationem. En utriusque sententiæ dantis, & negantis hodie post tertiam damnatam, Episcopis facultatem absolvendi ab occultis contra Cœnæ Bullam motiva. Fateor mihi graviora videri fundamenta opinionis negantis, eo quia interpretatio data Bullæ Cœne, quod negat Episcopis facultatem tantum quoad publica contra Bullam Cœnæ delicta, est meo iudicio evidenter falsa, quia nemo umquam asseruit inesse Episcopis facultatem absolvendi à publicis contra eam Bullam delictis, sed solum ex Tridentini indulto (quod expressè loquitur de occultis) concedebant Episcopis quoad delicta occulta absolvendi facultatem: ergo si Bulla Cœne derogat facultati concessæ Episcopis, derogat facultati absolvendi ab occultis. Hoc est motivum, quod singulariter me movet, stare pro sententiâ negante Episcopis facultatē absolvendi ab occultis contra dictam Bullam.

N.
241.

At quia meo iudicio non fido, eo quia video plures DD. graves, non tantum ante, sed etiam post tertiam ab Alexand VII damnatam, stare pro sententiâ tuente in Episcopis facultatem absolvendi ab omni occulto contra Cœnam, hinc de ipso, mihi fateor, evidenti syllogismo dubitare incipio, num crasse halluciner. En syllogismus: *Bulla Cœne revocat non tantum omnia privilegia, & jura antiqua, sed etiam jus novum Tridentini.* (hoc enim fuit, quod tale Episcopis indultum concessit) *sed quod jura antiqua, & Tridentinum concessit, est tantum facultas absolvendi occulta contra Bullam Cœne crimina:* (nulla facta criminum publicorum contra Cœnam mentione, quam nemo somniavit convenire Episcopali officio) *ergo Bulla Cœne revocat facultatem Episcopis debitam aut concessam absolvendi ab occultis.* Maior constat ex ipso textu Bullæ Cœnæ relato n. 222. minor ex ipso Tridentini textu relato n. 221. consequentia est legitima. Cum ergo videam gravissimos DD. interpretari textum Bullæ Cœnæ, quod neget Episcopis facultatem absolvendi à delictis publicis contra Cœnæ Bullam, non ab occultis; cum tamen evidens omnibus sit, numquam concessam Episcopis facultatem absolvendi à publicis,

sed tantum ab occultis, titubare incipio de re mihi omnino certâ, nempe quod Bulla Cœne revocavit indultū absolvendi concessum à Tridentino, nempe absolvendi occultum. Quod scio est, nil ponderis auctum in favorem sententiæ negantis facultatem absolvendi ab occultis, nil, inquam, additum ex tertiâ damnatâ: vel enim est certus ille syllogismus, & tunc sententiâ affirmans talem facultatem fuit ante tertiam damnatam improbabilis; habebat enim contra se eum certum syllogismum; vel non est certus? & tunc neque post tertiam damnatam sententiâ affirmans erit improbabilis, cum nil habeat contra se certum; si enim ante tertiam interpretatio data Bullæ Cœnæ, quod neget facultatem absolvendi à publicis, non verò ab occultis, est certò probabilis, etiam post tertiam damnatam talis manet.

Dices: Licet verum sit damnatam fridæ N. interpretandam, & sumendam ut jact, non 241. tamen inferitur, quod quia tertia est damnata, quatenus asserit sententiâ tuentem falsè Episcopos ex Tridentino à casibus occultis, fuisse *visam, & toleratam*: non, inquam, inde inferitur, quod ea sententiâ retinetur modo probabilitatem, quam antequam damnaretur, habebat. Potest enim ex ipsa damnata colligi ratio tollens omnem probabilitatem, ut patet in minus pia opinione, quæ non damnatur ut improbabilis; at tamen post tot indulta magis pie concessa, & postquam Papa vetuit, ne minus pia defendatur, penes plurimos certò improbabilem. Fateor quod tot *visa, & tolerata*, sit prædicatum damnatæ reliqua subiectum. Fateor 2. mihi certum esse, ut dixi disp. 3. ad finem, quod sententiâ asserens Episcopos posse ab occultis contra Bullam absolvere, fuisse *visam, & non toleratam*; & hoc esse, cujus oppositum Alexander damnat, nempe fuisse toleratam. At hoc modo non disputatur: quod ergo disputatur est, an sententiâ, quæ asseritur tolerata, sit hodie certò improbabilis. Dixi autem esse improbabilem ratione syllogismi evidenti, à quo Alexander motus fuit damnare tertiam, quatenus nitebatur divisioni peccati in publicum, & occultum; & quod Bulla Cœnæ vetabat unicè absolutionem à publicis, quam numquam habere Episcopos; non verò ab occultis, quam habebant. Igitur ipsa Alexandri definitio nititur ipsi syllogismo excludenti dictam divisionem: ex quo deduxi quod sententiâ asserens, unicè vetari Episcopis facultatem absolvendi à publicis, non ab occultis, vel semper fuisse improbabilem etiam ante damnationem tertie,

tie, ut ego prorsus judico, etsi ob magnam Doctorem contradicentium auctoritatem hoc dicere veretur; vel si ante damnationem tertiæ non fuit probabilis, nec post damnationem esse impossibile: eo quia ipsa Alexandri definitio nititur syllogismo, qui si non erat certus ante, nec nunc. Nam sæpe docui damnatas à Papa esse ex se ante damnationem malas; & ideo quia in se male damnantur.

N. 243. Confirmo: Nemo ante tertiam damnatam dixit improbabilem sententiam tuentem, licere Episcopis absolvere ab occultis: putarunt quidem plures esse falsam ob expressum Bullæ Cœnæ textum, nemo tamen quem viderim putavit improbabilem; ergo neque post tertiam damnatam ea sententia erit improbabilis. Do enim fuisse à Sacra Congregatione visam, & non toleratam interpretationem datam Bullæ Cœnæ, quod sustulerit ab Episcopis facultatem absolvendi à publicis, non ab occultis. Rogo, cur non fuit tolerata? Sanè, non nisi quia hæc interpretatio data Bullæ Cœnæ est illusoria, cum Bulla Cœnæ tollat facultatem ab Episcopis quam habebant; sed non habebant, nisi quoad delicta occulta, non quoad publica: ergo illam tollit: ergo tota ratio non tolerantia resolvitur in hunc nostrum syllogismum evidentem: *Bulla Cœnæ tollit facultatem, quam Tridentinum dedit Episcopis; sed non dedit nisi quoad occulta; ergo hanc tollit.* Hic autem syllogismus, si ante tertiam damnatam non sustulit probabilitatem à sententiâ post Bullam Cœnæ tuente, inesse Episcopis facultatem absolvendi ab occultis, neque post tertiam damnatam auferet ab eâ sententiâ probabilitatem.

N. 244. Hæc sunt, quæ movent primò ad dicendum, quòd per tertiam damnatam nulla sit sublata probabilitas à sententiâ tuente inesse post Bullam Cœnæ Episcopis facultatem absolvendi ab occultis, sed eandem prorsus retinere modò probabilitatem, quam ante tertiam damnatam habebat. Constat; quia nullum modò habet contra se principium certum post tertiam damnatam, quod antea non haberet; nempe ipsam interpretationem Bullæ quoad casus occultos, & publicos: quæ interpretatio ante tertiam damnatam aderat, & negabatur à pluribus ut falsa, à nemine ut improbabilis. Secundo dico, quòd si syllogismus allatus num. anteq. est evidens, aut saltem certus ut puto, tunc sententia tuens talem in Episcopis facultatem quoad occultos, numquam fuit probabilis, eo quia habebat principium certum contra se. Quia verò syllogismus illum adeo obviū, & pa-

tentem video à plurimis negari esse certum, nempe tum à Patronis tuentibus opinionem faventem Episcopis quoad absolutionem ab occultis; tum à negantibus eam opinionem esse veram, simul tamen tuentibus esse certò probabilem; ideo ob utrorumque auctoritatem suspicor eum syllogismum fortè non esse certum, etsi mihi certus videatur, & tunc dico, quòd si dictus syllogismus non est certus, sententia affirmans in Episcopis facultatem quoad occultos contra Cœnæ Bullam casus, non tantum est probabilis, sed videtur certa, eo quia certum est Tridentini indultum, & ut supponitur, revocatio non est certa. Vel ergo revocatio est certa, & tunc opinio, stans pro Episcopis quoad occultos est improbabilis: vel non est certa? & tunc eadem opinio, quia nixa certo indulto, erit certa. Ita discurrere placuit: etsi ego putem opinionem stantem pro Episcopis esse certò falsam, ob syllogismum mihi certum fundatum in textu Bullæ Cœnæ revocantis, & in textu Tridentini olim concedentis eam Episcopis facultatem. Quòd si dubitem ob auctoritatem tot Doctorum eum syllogismum esse certum, tunc licebit sequi opinionem stantem pro Episcopis, incerto ut supponitur à Bullâ Cœnæ quoad occultos revocatam.

Hinc ignoro, cur P. Cardenas, & P. No- N. 245. guiera velint, quòd opinio stans pro Episcoporum quoad occulta facultate, sit hodie post tertiam damnatam improbabilis: cum, ut dixi, si talis est, est ob certitudinem syllogismi, qui eam interpretationem à damnata asseritam destruit. Qui syllogismus aderat ante damnatam, immò ipsa damnata eum supponit: ergo opinio stans pro Episcopis, vel ante tertiam damnatam, est certò improbabilis; vel non est post illam.

Similiter ignoro, quid plus emolumenti N. 246. trahat opinio negans, sententiam stantem pro Episcoporum auctoritate quoad occulta crimina contra Bullam Cœnæ, esse probabilem. Do enim non esse probabilem ut puto, etsi ob extrinsecam ejus sententiæ probabilitatem, hoc asserere vix audeam: sanè si non est probabilis, est ob syllogismum, ut dixi, non aliunde; cum ipsa damnata eam interpretationem casuum in publicos, & occultos à syllogismo rejectam, supponat, ut veram. Do, inquam, non esse probabilem: quid tum? Sanè apud omnes omnino indubitatum est, quòd Episcopi saltem possint, non tantum occultos, sed etiam publicos contra Bullam Cœnæ casus absolvere, quoties qui deliquit impotens est personaliter Papam adire: hic enim non tenetur mittere

vel

vel Procuratorem, vel epistolam pro absolutione, ut docent M. Donatus *tom. 1. part. 2. pag. 69. n. 11.* Felix *n. 3345.* P. Tambur. *tom. 2. pag. 62.* P. Mendo in *Epitome verb. Reservati casus n. 40.* Neusser *d. 116. qu. 6.* Diana *part. 12. tr. 2. resol. 24.* & alij passim. Addit Felix, quod si commodè fieri posset, nec ullum esset infamiae periculum, scribi posset ad Romanam Pœnitentiarium.

N. Porro pro legitimè impeditis adire personaliter Romam recensentur ex iure Canonico *lib. 5. de Sent. excomm. cap. Quamvis, & cap. De castro*, & alibi, omnes familiari sibi morbo laborantes, nempe podagra, cecitate, senectute, membrorum debilitate, &c. omnes gravi inimicitia innodati, probabile mortis periculum prudenter timentes: omnes foeminae ob sexus fragilitatem: omnes impubes: omnes qui sui juris non sunt: omnes tantà rei familiaris inopiâ laborantes, ut non nisi mendicando iter suscipere possint: omnes notabili temporalit aut spiritali damno obnoxij, ut sunt qui habent officium publicum, quod sine gravi damno dimitti non possit: omnes qui suo labore familiae suae victum comparant. Breviter, omne illud est legitimum impedimentum, ob quod delinquens, si iter Romanum susciperet, se exponeret aut suos periculo probabili vitæ, aut famæ, aut alij gravi corporis aut animæ damno, ut rectè Neusser *l.c.*

Neusse. N. 248. Nota autem quod impedimentum potest esse perpetuum, & non perpetuum. Si est perpetuum, qui absolvitur ab Episcopo, absolvitur directè pro utroque foro à casibus publicis Papæ sive à jure, sive ab homine, etiam in Cœnâ Domini, & hæresis reservatis, ait Felix *n. 3347.* & M. Donat. *l.c. ex P. Tambur. l.c. pag. 62. qu. 59.* ex P. Pellizar. de Monialibus *cap. 9. n. 26.* & alij communiter. Si verò impedimentum non sit perpetuum, tenetur quis, elapso eo impedimento, presentare se Pontifici saltem per Procuratorem, ait Felix *n. 3350.* non ut absolutionem obtineat, cum jam sit directè, & plenè absolutus, sed ut Papæ hoc præcipienti obediat. Notandum quoque, quod si quis sit impeditus non tantum adire Papam, sed etiam adire Episcopum, tunc ille, ait P. Palao, & alij, poterit à quolibet legitimo Confessore à dictis casibus publicis in foro conscientiae absolvi. Hoc tamen negat Felix, Leander *tr. 2. de Centuris d. 17.* & alij. An verò hæc doctrina de impedimentis quoad Papam adeundum, teneat proportionaliter in casibus reservatis ab ipsis Episcopis, ita ut qui est legitimè impeditus adire Episcopum, possit à legitimo Confessore

tunc absolvi à reservatis per Episcopum, C. de negat. C. de Lug. Maistr. *d. 21. n. 232.* Felix *n. 3353.* e contra affirmat P. Palao, P. Tambur. *tom. 2. lib. 5. cap. 12. n. 35.* & alij.

Modo ad me redeo. Si cererum est quod Episcopi possunt omnes dictis impedimentis innodatos absolvere ab omni casu non tantum occulto, sed etiam publico contra Cœnæ Bullam: rursus, si certum quoque est, valde paucos esse illos, qui contra Cœnæ Bullam deliquere, qui non sint aliquo ex dictis impedimentis irreti, consequenter casus contra Cœnæ Bullam erunt plerumque jurisdictionis Episcopalis, etiam publici sint. Quod ergo emolumentum, ob quod neganda sit probabilitas sententiæ tueri Episcopos posse absolvere ab occultis Ergo vel sententia stans pro Episcopis quoad casus occultos, fuit semper etiam ante tertie damnationem certò improbabilis, quod nemo, quem viderim, dicit; vel si non fuit, etiam nunc post eandem tertiam non est improbabilis.

Hæc dixi, quia ego ejus genij sum, quem diuturna pluribus in Regionibus experientia me docuit. Malo potius, quoties res sub lite est, nec quid certum ex neutra parte habetur, stare semper pro ampliatione jurisdictionis Superiorum, præcipue Episcoporum, quam pro limitatione. Equidem ea est naturæ nostræ indoles, ut quos potiores tam ad præmia, quam ad poenas conspiciamus, eos veneremur magis, & magis vercamur, quam quos in atpera faciles, in indulgentias limitatos experimur. Sanè ut humane polius exempla subiceam, quæ ministris suis magnâ tamen ponderatione selectis, maiores sæpe, etiam supra characteris meritum, & secretas committunt facultates, mihi præsto, & satis est prudentissimus S. P. Ignatius, qui electis à se Superioribus, liberalior erat in ampliatione, quam in limitanda facultate: ea ductus ratione, quod quò maiori Superior immediatus autoritate præstat, eò cum subditi melioribus oculis intuentur: quin ipsimet infimis inter Superiores Superioribus ita favebat, ut eorum maiores moneret, ne se eorum officijs immiscerent, ut perfectè munus suum obire possent: quod si aliquis facultate suâ abuteretur, puniendâ erat persona abutens, non officium, cui facultas desponsabatur. Cùm ergo per autoritatis in Superiore limitationem subditi nequaquam meliores, quin conquisitis & adiectis in subsidium optimis doctrinis, pessimè tamen applicatis, deteriores, nescio cur hodie aliqui ex negantibus facultatem absolventi occulta in Episcopis eò ulque progressi sint.

ut dicant oppositā stantem pro tali facultate Episcoporum negent esse probabilem: immo eo usque progressi, ut quam negant hodie in Episcopis facultatem quoad suos, abtolvendi occulta contra Coenae Bullam, eandem hodie quoad suos concedunt Prælati Regularibus. Quare vel neganda, admissa à Felice n. 3424. in Prælati Regularibus, quoad suos hæc facultas, ut recte P. Moya tom. 1. pag. 327. n. 6. vel affirmanda certo probabiliter eadem in Episcopis facultas quoad suos. Non ergo stat morum reformatio in limitandā Superiorum sive Ecclesiasticorum, sive Regularium facultate, sed in Superiorum electione; qui si prudentes sint, maturè procedent in lucē facultatis usu, maturè in communicandā paucis, & quidem selectis viris facultate; maturè in non manifestandā, nisi dum opus est, autoritate, quā potiuntur. Hoc pacto Episcoporum Ecclesiæ Principum, & Prælatorum Regularium dignitati prospicietur; & lapsi habebunt, cui scelera sua fiducialiter committant.

N. 251. Adverte, mi Lector, me hæc in disputatione nonnulla de hæresi externā delibasse; nam interna ab omnibus absolvi potest: nec eandem materiam dilatare decrevi, eo quia ad manus sunt gravissimi Doctores, qui plenā manu hoc distendunt, & diserunt; tantō magis quod hæreses externæ ad diversum forum pertinent, & quidem pro Regionum diversitate diversum: neque idem ubique Inquisitionis Tribunal, eademque facultas. Nam ut fidem meam liberem, satis erit perpendere Hispanam Inquisitionem, quæ maioribus præ alijs Inquisitionibus gaudet privilegijs: Hispani enim Inquisitores absolvere possunt ab hæresi occultā, non tantum in foro judiciali, & externo, sed etiam in foro conscientie: non ita alijs Inquisitores; ait Carena part. 2. tit. 2. §. 7. n. 61. Diana 1. p. tr. 5. ref. 4. & p. 8. tr. 7. ref. 50. Felix n. 3341. Vnde verò in Inquisitoribus Hispaniæ tanta facultas? Sunt qui ex speciali privilegio derivari; sunt qui ex consuetudine; & Sedis Apostolicæ permissione, ne conversio hæreticorum occultorum retardaretur occasione Romani itineris. Porro hæc facultas absolvendi ab hæresi externā occultā non tantum ipsi Tribunali Hispaniæ Inquisitionis, sed cuilibet Inquisitori seorsim competit, adeo ut quilibet possit cuicumque Confessario eam facultatem committere: ut enim Inquisitor hanc facultatem exerceat, & committat, necesse non est ut Sacerdos sit, quia hæc facultas concessa est Inquisitori ratione sui officij, non ratione Ordinis Sacra-

dotalis, quo non eget ut censuram tollat, aut alteri tollendam communicet: quā sublatā, hæresis poterit ab omni Sacerdote absolvi; nam peccata ratione censuræ reservata, si hæc tollatur, possunt ab omnibus absolvi. Hec ferè ad verbum Felix l. c. P. Di. cast. de Censuris tr. 10. dub. 12. & alij.

S E C T I O X.

De Capitulo Sede vacante.

§. I.

Quid possit in Regulares approbatores?

S U M M A R I U M.

Status questionis, n. 252. 253.

DD. stantes pro jure Capituli, quod Regulares approbatores possit examinare, n. 253.

Non sunt nisi duo, quin nec duo, ibid.

Capitulum per Vicarium a se electum approbare potest Confessores, n. 254.

Rationes dictorum DD. ibid.

Dicunt Clementis IV. Decretum revocatum: & sicut Capitulum potest approbare, ita & revocare licentias, ibid.

Dicunt potestatem approbandi Regulares esse ordinariam Episcopi, & ideo transire ad Capitulum, n. 255.

DD. negantes, n. 256.

Atant quod etsi de jure communi Capitulum hoc possit, derogatum tamen a Clemente IV. n. 257.

Clausula ejusdem Clementis, ibid.

Negant jus approbandi Regulares esse ordinarium Episcopi, sed delegatum, ibid.

Clemens X. decidit, quod novus Episcopus revocare possit approbationes Antecessorum, ibid.

M Ovi hoc dubium supra n. 213. & huc N. 252. transtuli fusiori calamo, quæ breviori conceperam, tantō magis, quod hæc materia familiari Episcoporum morte quotidie ob oculos versatur, & quod magis est, acerbis contentionibus sit illustrior, & infelicio. Queritur igitur, an Capitulo, Sede vacante, insit jus examinandi Regulares ab Episcopo demortuo approbatores, sive sine causā, sive cum novā causā, eo modo quo subsequens Episcopus potest absolute, etiam non accedente novā causā ex parte Regularis, sed pro suo libito, & sui muneris officio examinare, approbare, reprobare, limitare facultatem absolvendi sæculares ab alio Episcopo Regularibus concessam?

Duos dumtaxat reperio Doctores, qui militant pro jure Capituli, Sede vacante, (de hoc enim semper loquor, ne cæties repetam:) nempe